

leg. Et mulieri. & ejus implicativa: Quia illa non voluit implicare masculinum, sed alium casum interdictionis bonorum. Nec obstat etiam textus qui possit adduci pro hac parte contra communem in leg. Si quis cum sciret. in fin. ff. Pro emptor. ubi habetur, quod si quis emat à luxurioso, vel scorto, vel ab eo quem sciat statim verisimiliter in malos usus consumpturum, non valet contractus neque obligatio, imò tenetur sibi restituere rem, & non potest repetere pecuniam quam pro ea traxerat: & idem est si mutuavit sibi pecuniam, vel solutionem debiti fecit; quia non potest repetere, nec liberatur à debito: & ad hoc illum textum reputat ibi singularem & unicum Joan. de Imol. & commendat ceteri DD. notant etiam & commendat DD. in leg. Si cum dotem. §. Primo. ff. Solut. matrimo. facit etiam text. in leg. Si verò non remunerandi. §. Si adolescens. ff. Mandati. Quia illa jura procedunt, quando emptor vel contrahens scienter contraxit, & traxerat pecuniam ei, qui verisimiliter debeat convertere in malos usus: non tamen, si est luxuriosus, vel inhonestæ vitæ, interdicitur sibi administratio quoad alias personas vel contractus; imò nec potest sibi fieri interdictio per judicem, cum non reperitur jure cautum.

Adde tamen circa supradicta, quod licet mater per transitum ad secunda vota amittat tutelam filiorum; tamen pater per transitum ad secunda vota non amittit legitimam administrationem, quam habet à lege in bonis filiorum: Primò quia lege cavetur: Item quia animus viri præsumitur constantior & firmior, & non subjicitur fœminæ, sicut ipsa subjicitur viro; unde pater non amittit, licet mater sic. (f) Et in expresso ita probat textus in leg. Generaliter. in fin. versicul. Negotia. Cod. de Secund. nupt. cujus verba sunt: Negotia verò liberorum patri utiliter administrare concedimus. & illum textum ad hoc reputat singularem Angel. in Authentic. de Non eligend. secundo nubent. cap. 2. §. Quia verò. Collation. 1. text. in leg. final. Cod. de Bonis maternis. ubi pater per transitum ad secunda vota non amittit usum fructum bonorum quem habet in bonis filiorum: ergo per consequens non amittit legiti-

(f) Idem tenet Pinell. in leg. ultim. Cod. de Bonis matern. num. 15. Matienz. in leg. 3. titul. 1. lib. 5. Recopilat. gloss. 2. num. 10. similiter etiam pater per transitum ad secunda nuptias non amittit tutelam sibi delatam, ut tenet Menchaca de Succession. creation. §. 12. num. 36. contra Angel. in Authent. de Non eligend. secund. nubent. §. Quia verò. num. 16.

(g) Tenet etiam Tell. in leg. 6. Taur. num. 21. Pinell. in leg. 2. num. 17. Cod. de Bonis maternis. Villalobos in Arario commun. opin. litter. B. num. 31. & litter. M. num. 24. Azeved. in leg. 4. titul. 1. lib. 5. Recopilat. num. 11.

mam administrationem: text. in Authentic. de Nuptiis. cap. Si verò spectet. versic. Nam si & ille filios habens. Collation. 4. & per ista jura istam sententiam & conclusionem tenet Joan. de Imol. in leg. Ex facto. ff. de Vulg. & Pupil. 6. colum. in fin. versic. Item adde. Corn. in leg. Humanitatis. Cod. de Impuber. & aliis substitution. 2. col. Idem Corn. in leg. Jubemus. Cod. Ad Trebellian. 2. colum.

Item adde, quod si talis mater post mortem viri vivat luxuriosè, & succedat alicui filio defuncto, an teneatur reservare illa bona aliis filiis, sicut quando transit ad secunda vota? Et videtur quod sic, ne plus habeat luxuria quàm castitas, argumento supradictorum: & in expresso istam sententiam & communem tenet Paul. de Castr. in leg. Omnem. Cod. Ad Tertullian. 1. colum. num. 2. (g) Palac. Rub. tamen movet quæstionem, & relinquit cogitandum, in sua Repetition. Rubr. de Donation. inter vir & uxor. fol. 48. 3. colum. versic. Ita faciunt. §. 67. Sed his non obstantibus, in hoc articulo ego teneo contrariam sententiam, imò, quod talis mulier non teneatur reservare prædicta bona aliis filiis: quia dispositio legalis, quæ privat matrem transeuntem ad secunda vota proprietate bonorum, & obligat ea reservare filiis primi matrimonii, est odiosa & merè pœnalis, & tantum loquitur in ea, quæ secundas nuptias contraxit, ut in dict. leg. Fœmina. Cod. de Secundis nupt. & in Authentic. de Nuptiis. cap. Si verò spectet. Collation. 4. cum similib. ergo non debet extendi: argumento eorum quæ traduntur in Authentic. Quas actiones. Cod. de Sacrosanct. Eccles. Et hoc intelligo, modò habeat filios naturales ex tali vita inhonestæ & luxuriosa, modò non; quia nullo casu tenetur reservare. Hodie tamen ista quæstio non potest verificari nec habere locum in nostro Regno, cum tales filii naturales non succedant cum legitimis: sed potest tantum verificari & procedere respectu quinti bonorum, quod potest relinquere filiis naturalibus, sicut extraneis: unde prædicta mater posset quintum relinquere filiis naturalibus, tam in bonis habitis ex successione alterius filii legitimi, quàm in aliis bonis propriis habi-

In Legem XIV. XV. & XVI. Tauri.

bitis aliunde, sicut potest relinquere quibuscumque extraneis. Et istud teneo pro firma veritate in hoc articulo.

Item adde, quod si mulier post mortem viri vivat luxuriosè, amittit dotem, & applicatur hæredibus mariti: de quo articulo vide In repetitione Delictorum, in materia Adulterior. (h)

Item etiam adde, quod si mulier post mortem viri vivat luxuriosè, amittit medietatem lucrorum acquiritorum constante matrimonio, & applicatur hæredibus mariti: ita expressè disponit lex final. in fin. titul. 4. lib. 5. Ordinarum. & per eam ita tenet Palac. Rub. in sua repetition. Rubric. & cap. Per vestras. de Donation. inter virum & uxorem. fol. 6. 4. colum. versic. Ad prædicta facit lex regni &c. Idem Palac. Rub. latius, & notabiliter fol. 47. 4. colum. versic. Unum demum. §. 67. per 4. colum. (i)

Item etiam adde, quod si mulier post mortem viri vivat luxuriosè, amittit donationem quam habuit à marito in vita: ita disponit lex 9. titul. 12. lib. 3. Fori legum. & lex 3. tit. 12. 4. part. licet in veritate illa lex tantum loquatur, quando infra annum luctus vivit luxuriosè: Sed hoc non obstante, cum lex fori indistinctè loquatur, & ratio militet utroque casu, indistinctè procedit utroque tempore: & ita videtur tenere Paul. Rub. ubi supra.

Item etiam adde, quod si mulier post mortem viri vivat luxuriosè, amittit hæreditatem, vel legatum relictum à marito: ita Salyc. in leg. Fideicommissi. Cod. de Fideicommissi. & Palac. ubi supra.

Item etiam adde, quod si mulier post mortem viri vivit luxuriosè, amittit facultatem testandi à marito concessam: ita apertè infertur ex superioribus, & in expresso ita tenet Palac. Rub. in dict. repetit. fol. 48. 1. colum. versic. Et in istis infero ad unum quod Ant. Gomez. ad Leg. Tauri.

(h) Vide etiam Covarrub. in 4. 2. part. cap. 7. §. 6. num. 10. Clar. lib. 5. Practic. crimin. §. Stuprum. verb. Sed nunquid, & latissimè Octavianum in Decissione Pedemontana 77. & per Roland. à Valle Consil. 86. colum. 2. Menchac. Controversiarum usu frequentium. cap. 8. num. 13. Molin. de Primogen. lib. 10. cap. 9. num. 49. Azeved. in leg. 4. titul. 1. lib. 5. Recopilat. num. 15. Matienz. in leg. 5. tit. 9. lib. 5. Recopilat. gloss. 8. num. 18. qui omnes magis communis opinionis esse ajunt non perdere dotem.

(i) Vide quæ dicuntur in leg. 51. 52. & 53. infra in num. 8. ibi: Item quæro, si soluto matrimonio. & vide leg. 8. titul. 8. lib. Recopilat. Matienz. in gloss. 8. num. 2. Covarrub. de Sponsalib. 2. part. cap. 7. §. num. 12. Azeved. in leg. 4. titul. 1. lib. 5. Recopilat. num. 12. Aviles in Proemio. cap. Prætorum. num. 39. cum sequentibus. Molin. de Hispan. Primogen. lib. cap. 9. num. 49. Villalobos in Suo arario. litter. C. num. 3.

(k) Idem tenet Tellus in leg. 16. num. 28. fol. 67. colum. 3.

rum; quia tunc, etiam si non petierint tutorem prædictis impuberibus, non amittunt eorum successionem, nec est opus petere restitutionem, quia ipso jure servantur illæ: textus est in leg. 2. Cod. Si adversus delictum.

Item etiam limita & intellige, quando tales filii vel consanguinei moriantur impuberes, ut supra dictum est: secus verò si moriantur puberes; quia tunc, etiam si prædicta mater vel consanguinei non petierunt tutorem eis dari, non amittunt eorum successionem: textus est in leg. Marres. Cod. ad Tertyllian.

Item etiam limita & intellige prædicta jura, ut procedant & habeant locum in successione ab intestato, vel in substitutione directa pupillari, per quam succeditur pupillo: secus verò in substitutione fideicommissaria; quia eam non amittunt tales naturales consanguinei, licet tutorem non petierint; quia per eam non succeditur pupillo gravato, sed ipsi testatori à quo emanavit substitutio: textus est notabilis & expressus in leg. final. §. Si verò maritus. ff. Qui petant tutores. & ad hoc ibi notat & commendat Bartol. post antiquos: idem Bartol. in dict. leg. Sciant qui. in fin. Cod. de Legitimis hered. & ibi Angel. de Perus. Paul. Salic. & Philippus Corn. & communiter DD. in dict. leg. Omnem. Cod. Ad Tertyllian. Angel. de Aret. in §. Sed quemadmodum. Institur. de Senatusconsult. Tertyllian. 2. colum. num. 5. Aret. in leg. Centurio. ff. de Vulg. & Pupil. 10. colum.

Item etiam limita & intellige, quòd mater, vel, ea non extante, proximior consanguineus in gradu amittat successionem propter culpam & negligentiam in non petendo tutorem infra annum: non tamen amittit sequens in gradu, licet ipse non petierit infra alium annum, nec alio tempore; quia jus succedendi sibi non competeat. Quòd tamen intellige, quando proximior in gradu vivebat: secus verò si mortuus sit vivente impubere; quia tunc sequens in gradu tenetur ei petere tutorem infra annum à tempore mortis primi; quia cum jus successionis ex tunc incipit sibi competere, similiter etiam incumbit sibi onus & tempus petendi tutorem: & in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Glossa ordinaria in leg. 2. ff. Qui petant tutores. in glos. final. in fin. & ibi Bartol. fin. colum. & communiter DD. antiqui: Glossa ordinaria in leg. penultim. Cod. eodem titul. Qui petant tutores. & ibi notat & commendat Bald. Salicet. & communiter alii Doctores: tenet etiam Bald. Angel. Paul. & Salyc. Corn. & communiter

DD. in leg. Sciant qui. Cod. de Legitimis heredib. Et ista opinio est tenenda tanquam vera & communis; licet Bartol. expressè voluit contrarium in dict. leg. penultim. ff. Qui petant tutor. imò, quòd indistinctè necessitas petendi incumbat secundo post lapsum anni dati primo, & sic in ulterioribus, argumento dicta leg. Sciant qui. Cod. de Legitim. hered. & text. in leg. final. versic. Eo addito. Cod. Qui admitti.

Item etiam limita & intellige, præterquam si mater, vel consanguineus, anno jam transacto, velit moram purgare in continenti: quia videtur quòd possit; quia quando dies & pœna à lege est imposita, potest debitor in continenti moram purgare, ut in cap. Potuit. in fin. de Locato. & facit text. in leg. Si ita quis. in §. Seia. de Verb. obligat. Sed his non obstantibus, contrarium videtur de jure verius, imò, quòd non possit moram purgare etiam in continenti. Primò, quia jura simpliciter & indistinctè imponunt hanc pœnam privationis hæreditatis propter grave damnum & præjudicium quòd minores incurrunt propter defectum administrationis. Secundò, quia talis mater vel consanguineus est tanquam creditor futurus in successione impuberis, sub conditione Si tutorem petant: sed creditor futurus non potest moram purgare, ut jus vel actio ei quæratur, ut in leg. Thais. §. Intra certa tempora. ff. de Fideicommiss. libertat. ergo, &c. Et in expressò isto fundamento & consideratione istam sententiam & conclusionem tenet Salyc. in dict. leg. Sciant qui. Cod. de Legitim. hered. final. colum. num. 11. Angel. de Aretin. in dict. §. Sed quemadmodum. 2. colum. num. 6.

Quæro tamen circa materiam nostram: Si fortè filius impubes mortuus est infra illum annum, in quo mater debebat assumere tutelam, vel petere à iudice alium tutorem dari; & tamen decessit in fine anni, ita quòd remanebat brevissimum tempus, in quo verissimiliter non poterat mater sumere tutelam, vel facere alium tutorem dari, secundum stylum Curia, & requisita pro expeditione decernendæ tutelæ; an mater possit filio succedere, cum annus prorsus & omninò non erat lapsus; vel privetur ejus successione, quia videtur esse tanta culpa & negligentia tanquam si totus annus esset transactus, cum intra illud residuum temporis, licet filius viveret, impossibile esset quòd mater possit expedire prædictam receptionem vel dationem tutelæ? Et videtur quòd mater amittat successionem filii, ac si moreretur infra pupillarem ætatem post lapsum totius anni: Primò, quia ille qui te-

ne-

netur ad aliquod factum infra certum tempus explicandum sub pœna, si labatur tantum tempus, quòd in residuo impossibile sit illud impleri, statim tenetur, & incurrit pœnam, licet cum effectu non possit conveniri nisi transacto toto tempore: ita probat textus singularis in leg. Cum stipulatus sim mihi, Procul. ff. de Verborum obligation. quem ibi ad hoc notant & commendant Bartol. Paul. & communiter DD. text. in leg. In illa stipulatione si Kalendis. eodem titul. text. in leg. Quidquid asstringenda. §. final. eodem. text. in leg. Veluti. §. final. eodem titul. Secundò facit textus in leg. 2. §. Si quis tamen cum posset. & ff. Si quis cautionib. ubi habetur, quòd semper est impetandum ei qui nimis se arctavit ad aliquid expediendum, cum sit in culpa. Et in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Paul. de Castr. in leg. Non omnes. ff. Si certum petat. penultim. colum. num. 10. Idem Paul. in leg. Si decesserit. ff. Qui satisd. cogant. 1. colum. num. 8. Alexander de Imol. in leg. Cum stipulatus sim mihi à Proculo. penultim. colum. num. 11. de Verbor. obligat. Sed his non obstantibus, ego teneo contrariam sententiam, imò, quòd tali casu mater non privetur successione filii, nisi moriatur post lapsum totius anni. Primò, quia ille qui tenetur ad aliquod factum infra certum tempus explicandum, non incurrit pœnam legalem nisi labatur totum tempus integraliter: textus est in leg. Insulam infra biennium. ff. de Verbor. obligat. & ibi notat Bartol. & communiter DD. Secundò facit text. in cap. Commissa. de Electione, in 6. ubi habetur, quòd si quis adeptus est beneficium in Ecclesia Parochiali, & infra annum non fecit se ordinari, privatur beneficio; tamen non incurrit in pœnam privationis nisi toto anno integraliter transacto. Et in expressò istam sententiam & conclusionem tenet Paul. de Castr. sibi contrarius in leg. Cum stipulatus sim mihi à Procul. 2. colum. num. 6. de Verbor. obligat. Alexand. de Imol. in leg. Si decesserit. ff. Qui satisd. cogant. final. colum. num. 10. & prædicti DD. respondent ad text. qui videtur probare contrarium. in dict. cap. Commissa. Et ex his remanet sufficienter declarata lex 15. & 16.

TEXT. XVII.

Quando el padre, ò la madre mejorar à alguno de sus hijos ò descendientes, res legitimas en el tercio de sus bienes en testamento, ò en otra postrimera voluntad, ò por otro algun contrato en-

tre vivos, ora el hijo estè en poder de el padre que hizo la dicha mejora, ò no; fasta la hora de su muerte la pueda revocar quando quisiere: Salvo si, hecha la dicha mejora por contrato entre vivos, oviere entregado la posesion de la cosa, ò cosas, en el dicho tercio contenidas, à la persona à quien la hiciere, ò à quien su poder oviere; ò le oviere entregado ante Escrivano la escriptura dello; ò el dicho contrario se oviere hecho por causa onerosa con otro tercero, assi como por via de casamiento, ò por otra cosa semejante: que en estos casos mandamos, que el dicho tercio no se pueda revocar, sino reservasse el que lo hizo en el mismo contrato el poder para lo revocar, ò por alguna causa, que segun leyes de nuestros Reynos las donaciones perfectas, y con derecho fechas se pueden revocar.

Id est:

Cum pater aut mater auxerit vel melioraverit quemquam ex filiis aut descendibus legitimis in Tertio suorum bonorum per testamentum, aut aliam ultimam voluntatem, aut per quempiam alium contractum inter vivos, sit, vel non sit filius in potestate patris, qui ejusmodi augmentum vel meliorationem fecerit; usque ad horam mortis sua possit illud cum libuerit revocare: nisi, prædicto augmento facto per contractum inter vivos, possessionem rei aut rerum in prædicto tercio contentarum aucto vel meliorato tradiderit, aut ejus potestatem habenti; aut ei coram tabellione scripturam ejus tradiderit; aut ejusmodi contractus factus fuerit ob causam onerosam cum alio tercio, (exempli causa) ut ratione Matrimonii, aut ob rem similem: Nam in ejusmodi casibus præcipimas, ut prædictum augmentum vel melioratio in Tertio non possit revocari, nisi is qui contractum fecit in eodem sibi reservaverit facultatem eum revocandi, aut propter aliam causam ex eis, propter quas etiam perfectæ donationes & jure factæ juxta leges nostrorum Regnorum revocari possunt.

COMMENTARII

In Legem XVII.

SUMMARIUM.

- 1 Legitima filii quanta sit?
- 2 Quid detrahebatur prius de hæreditate patris, Tertium bonorum, an Quintum?